Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35120
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar

dormienti Gen. 28. Ego sum
dominus deus Abraham patris tui
et deus Ysaac terram in qua ista
tibi dabo et semini tuo. Dicit hora
quia in illa terra corpus natus fuit
in qua misterium nostre redemp-
tionis implevit. Et hoc est quod
subdit tibi dabo ad literam terra
illa erat Chanaan in qua Jacob
dormivit cum esset in itinere usque
Mesopotamiam Syrie ut habetur
Gen. 28. Funiculum hereditatis vestre
Ad literam illa terra postea fuit men-
surata funiculis. Et sic in diver-
sas hereditates divisa ut patet
Josue multis capitulis. Cum essent
numero describit quomodo deus huiusmodi
promissum implevit in predictis pa-
triarchis quorum spiritualem curam ha-
buit. Secundo dicit Cum essent etc. scilicet
Abraham Ysaac et Jacob et famu-
li sui numero brevi. Et exponendo
quomodo fuerunt numero brevi paucis-
simi fuerunt et incole peregrini fue-
runt eius scilicet terre Chanaan. Et
pertransierunt etc. Hoc verbum est de
Abraham qui cum familia sua
peregrinabatur in terra Chanaan do-
mino suo hoc mandante Gen. 12.
Ubi dixit dominus Abraham Egre-
dere de terra etc. Et postquam invaluit
fames peregrinatus est in E-
gipto qui rediit in terram Chanaan
ut patet Gen. 13. Potest etiam hoc
intelligi de Ysaac qui peregrinabatur
fame cum [illegible] in Geraris ut
Gen. 26. Et potest intelligi similiter
de Jacob qui cum familia sua de
terra Chanaan transivit in Egiptum
ut habetur Gen. 46. Et hoc est
quod dicit pertransierunt etc. Non
reliquit etc. quia deus prohibuit
persequentem Laban ne loqueretur
cum Jacob ut patet Gen. 31. Et post-
quam Symeon et Levi filii Jacob
interfecissent habitatores Sichem
timor domini invasit eos omnes
per circuitum civitatis. Et non sunt
ausi persequi persequentes Gen.
34. Corripuit etc. Contra propter Abra-
ham corripuit regem Egipti
et regem Gerariis et flagel-
lavit 12. et 20. capitulis. Et propter
Jacob et filios suos corripuit
Pharaonem regem Egipti decem
plagis ut patet Exo. 7. usque ad
11. capitulum. Nolite etc. loquitur
in persona domini. Et est sensus Nolite
tangere christos meos id est istos sanctos
patriarchas scilicet Abraham Ysaac
et Jacob et eorum filios de quibus
debebant descendere reges qui
christi sive uncti dicebantur etiam
isti tres. Et si non habebant unctio-
nem corporalem tamen spiritualem
per gratiam habuerunt. Et in prophetis
meis scilicet eisdem patriarchis
qui prophete fuerunt. Contra Abraham
propheta fuit ut elicitur ex epistola
et ex hystoria Gen. 20. Similiter
Ysaac prophetice benedixit filio
suo Jacob Gen. 27. Similiter Jacob
12 filiis suis futura prophetavit
Gen. 49. Et vocavit etc. Ubi
quasi propheta describit tempus Joseph
usque ad Moysen dicens Et
vocavit famem id est annorum de quo
habetur Gen. 41. Et omne firma-
mentum. Per hoc describit magnitu-
dinem eiusdem famis. Misit
ante eos virum ad literam dispo-
nente deo Joseph venditus fu-
it in Egipto qui dicitur hic vir
a virtute quia noluit consentire
in adulterio domine sue ut habetur
Gen. 39. In servum venundatus
est scilicet Joseph et Putifar eunu-
chus Pharaonis emit eum
in Egipto ut habetur ibidem Gen.
39. Humiliaverunt etc. quia ad